huius fuisse sententiæ, ut putarit in hac terra uelut in campis quibusdã Elysijs post resurrectionem nos suauiter acturos, idq; mille annis. Nam hoc nomine notatur, in Definitionibus ecclesiasticorum dogmatum. Qui error insignes aliquot uiros etiam inuoluit, uidelicet Lactantium, Victorinum, Seuerum, è Græcis Irenæum & Apollinarium, ceu Hieronymus autor est exponens Ezechielis caput xxxvi. Hos quidam Milliarios uocant. Opus uero de spe fidelium, in quo uerisimile est hoc ab illo astrui, hodie non extat, citatur tamen à Hieronymo loco quo diximus. Porrò huius libri nonnulla capita reperiuntur in uolumine quod scripsit ad uersus Iudæos, quædam in libro de carne Christi, ut nescias an hinc illuc transtulerit, an ediuerso. Habebant autem olim eruditi certos locos paratos, quibus ubilibet uti poterant, si exigeret materia.

ARGVMENTI, FINIS.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, ADVERSVS MARCIONEM, LIBER TERTIVS.

SECVNDVM uestigia pristini operis quod amissum reformare perseueramus, iam hinc ordo de Christo, licet ex abundanti, post decursam defensionem unicæ diuinitatis. Satis etenim præiudicatum est, Christum non alterius dei intelligendum, quàm creatoris, cum determinatum est, alium deum non credẽdum præter creatorem, quem adeo Christus prædicauerit, & deinceps Apostoli nõ alterius Christum annũciauerint, quàm eius dei quem Christus prædicauit, id est creatoris, ut nulla mentio alterius dei, atq; ita nec alterius Christi agitata sit, antè scandalum Marcionis. Facillime hoc probatur Apostolicarum & hæreticarũ ecclesiarum recensu: illic scilicet pronunciãdam regulæ interuersionem, ubi posteritas inuenitur. Quod etiam primo libello intexui. Sed & nunc congressio ista seorsum in Christum examinatura, eo utiq; proficiet, ut dum Christum probamus creatoris, sic quoq; deus Marcionis excludatur. Decet ueritatem totis uiribus uti suis, non ut laborantem. Cæterum in præscriptionum compendijs uincit. Sed decretũ est ut gestientem ubiq; aduersario occurrere, in tantum furenti, ut facilius præsumpserit eum uenisse Christum, qui nunq; sit annunciatus, quàm eum qui semper sit prædicatus. Hinc denicq; gradum consero, an debuerit tam subitò uenisse. Primo, quia & ipse dei sui filius. hoc enim ordinis fuerit, ut antè pater filiũ profiteretur, quàm patrem filius: & antè pater de filio testaretur, quàm filius de patre. Dehinc & quâ missus præter filij nomen. Proinde enim præcessisse debuerat

rat mittentis patrocinium in testimoniũ missi: quia nemo ueniens ex alterius autoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit, sed ab ipsa defensionem potius expectat, præeunte suggestu eius, qui autoritatem præstat. Cæterum nec filius agnoscetur, quem nunq̃ pater nuncupauit: nec missus credetur, quem nunquàm mandator designauit. Nuncupaturus pater, & designaturus mandator, si fuisset. Suspectum habebitur omne, quod exorbitarit à regula: Rerumq̃ principalis gradus non sinit posterius agnosci patrem post filium, & mandatorem post mandatum, & Christum post deũ. Nihil origine sua prius est in agnitione, quia nec in dispositione, subitò filius, & subitò missus, & subitò Christus. Atqui nihil putem à deo subitum, quia nihil à deo non dispositum. Si autem dispositum, cur & non prædicatum, ut probari posset & dispositum ex prædicatione, & diuinum ex dispositione. Et utiq; tantum opus, quod scilicet humanæ saluti parabatur, uel eatenus subitum non fuisset, quâ per fidem profuturum. In quãtum enim credi habebat ut prodesset, in tantum paraturam desiderabat, ut credi posset, substructam fundamentis dispositionis & prædicationis: quo ordine fides informata, merito & homini indicaretur à deo, & deo exhiberetur ab homine. Ex agnitione debes credere quia posset, quæ scilicet credere didicisset ex prædicatione. Non fuit, inquis, ordo eiusmodi necessarius, quia statim se & filium, & missum, & dei Christũ, rebus ipsis esset probaturus per documenta uirtutum. At ego negabo solam hanc illi speciem ad testimonium competisse, quam & ipse postmodum exautorauit. Siquidem edicens multos uenturos, & signa facturos, & uirtutes magnas ædituros, auersionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos, temerariam signorum & uirtutũ fidem ostendit, ut etiam apud pseudochristos facillimarum. Aut quale est si inde se uoluit probari, & intelligi, & recipi, ex uirtutibus dico, unde cæteros noluit æque & ipsos tam subitò uenturos, quàm à nullo autore prædicatos? Sed quia prior eis uenit, & prior uirtutum documenta signauit, idcirco quasi locum in balneis, ita fidem occupauit, posteris quibusq; præripuit. Vide ne & ipse in conditione posteriorum deprehendatur: posterior inuentus creatore, ante iam cognito, & proinde uirtutes ante operato, & nõ aliter præfato, nõ esse alijs credẽdum, post eum scilicet. Igitur sic priorẽ uenisse, & priorẽ de posteris pronunciasse, hoc fidem cludet: prædamnatus erit & ipse iam ab eo quo posterior est agnitus, & solius erit autoritas creatoris hoc in posteris constituendi, qui nullo posterior † non potuit. Iam nũc cum probaturus sim creatorem, easdem uirtutes, quas solas ad fidẽ Christo tuo uendicas, interdum per famulos suos retro ædidisse, interdum per Christũ suũ ædendas destinasse, possum & ex hoc merito præscribere, tãto magis Christum non ex solis uirtutibus credendum fuisse, quanto illum non alterius

Locum in balneis occupare

Pro nõ potuit puto legendũ innotuit.

quàm creatoris interpretari potuissent,ut respondẽtes uirtutibus creatoris, & æditis per famulos suos,& in Christum suũ repromissis:quanq̃ & si alia documenta inuenirentur in tuo Christo, noua scilicet, facilius crederemus etiam noua eiusdem esse cuius & uetera,quàm cuius tantummodo noua, egentia experimentis fidei uictricis uetustatis:ut sic quoq; prædicatus uenire debuerit,tam prædicationibus proprijs extruentibus ei fidem, quàm & uirtutibus,præsertim aduersus Christum creatoris uenturũ,& signis & prophetis proprijs munitum,ut æmulus Christi per omnes diuersitatum species reluceret.Sed quomodo à deo nunq̃ prædicato Christus eius prædicaretur? Hoc est ergo quod exigit,nec deum,nec Christum tuũ credi, quia & deus ignotus esse non debuit,& Christus agnosci per deum debuit. Dedignatus opinor est imitari ordinem dei nostri,ut displicentis, ut cũ maxime reuincendi.Nouus nouè uenire uoluit,filius ante patris professionẽ, & missus ante mandatoris autoritatem,ut & ipse fidem monstruosissimam induceret,qua ante crederetur Christum uenisse, quàm sciretur fuisse.Competit mihi etiam illud retractare,cur non post Christum uenerit. Nam cum intueor dominum eius,tanto æuo patientissimum acerbissimi creatoris annunciantis interea in homines Christum suum,quacunque id ratione fecit,tam reuelationem quàm intercessionem suam differens, eadem ratione dico illum patientiam debuisse creatori,in Christo quoque suo dispositiones suas executuro,ut perfecta & expleta omni operatione æmuli dei & æmuli Christi,tunc & ipse proprias dispositiones superduceret. Cæterum pœnitentia tantæ patientiæ fecit, quod non in finem rerum creatoris perseuerauerit. Vanè sustinuit prædicari Christum eius,quem non sustinuit exhiberi. Aut sine causa intercidit temporis alieni decursum, aut sine causa tam diu non intercidit.Quid illum detinuit,quidue turbauit? Atquin in utrumque commisit,post creatorem quidem tam tardè reuelatus, ante Christum uero eius tam properè. Alterum uero iam dudum debuerat traduxisse,alterum nondum:Ne illum quidem tamdiu sæuientem sustinuisse:Istum uero adhuc quiescẽtem inquietasse,circa ambos excidens ab optimi dei titulo:certe uarius & ipse & incertus,tepidus scilicet in creatorẽ,& calidus in Christum,& uanus utrobique.Non magis enim compescuit creatorem,quàm obstitit Christo.Manet & creator,qualis omnino est:ueniet & Christus qualis & scribitur. Quid uenit post creatorem, quem emendare non ualuit? Quid ante Christum eius reuelatus est, quem reuocare non potuerit? Aut si emendauit creatorem,post illum reuelatus,ut emendanda præcederent:ergo & Christum eius æque emendaturus expectasse debuerat,proinde & illius posterior emendator futurus,sicut creatoris. Aliud est si & ipse post illum rursus adueniet,ut primo quidẽ aduentu processerit ad

uersus

uersus creatorem,legem & prophetas destruens eius:Secundo uero proce/dat aduersus Christum,regnum redarguens eius. Tunc ergo conclusurus ordinem suum,tunc si forte credendus est: aut si iam hinc perfecta res est eius,uanè ergo uenturus est,nihil scilicet peracturus. His præluserim quasi de gradu primo adhuc,& quasi de longinquo.Sed & hinc iam ad certum & cominus dimicaturus,uideo aliquas etiam nunc lineas præducendas, ad quas erit dimicandũ,ad scripturas scilicet creatoris.Secũdum eas enim pro/baturus,Christum creatoris fuisse,ut postea Christo suo adimpletas, neces/se habeo ipsarum quoq; scripturarum formam,&(ut ita dixerim)naturam demandare,ne tunc in controuersiam deductæ cum adhibentur ad causas, & sua & causarũ defensione cõmixtæ,obtundant lectoris intentionẽ.Duas itaq; causas Prophetici eloquij adlego agnoscendas abhinc aduersarijs no/stris, Vnam qua futura interdum pro iam transactis enunciantur. Nam & diuinitati competit,quæcunq; decreuerit,ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis,apud quam uniformem statum temporis dirigit æternitas ipsa.Et diuinatiõi propheticæ magis familiare est,id quod prospiciat,dum prospicit,iam uisum atq; ita iam expunctum, id est omni modo futurum demonstrare:Sicut per Esaiam,Dorsum meũ posui in fla/gella,maxillas autem meas in palmas,faciem meam uero nõ auerti à sputa minibus.Siue enim Christus iam tũc in semetipsum secundũ nos,siue Pro phetes de semetipso secundum Iudæos pronunciabat,nondũ tamen factũ pro iam transacto sonabat.Alia species erit,qua pleraq; figuratè portendũ tur per ænigmata,& allegorias,& parabolas,aliter intelligenda quàm scri/pta sunt.Nam & montes legimus destillaturos dulcorem,non tamen ut sa pam de petris,aut fructum de rupibus speres.Et terram audimus lacte & melle manantem,ut de glebis credas te unquam placẽtas & samias coactu rum:quia nec statim aquilicem & agricolam se deus repromisit,dicens: Po/nam flumina in regione sitienti,& in solitudine buxum & cedrum. Sicut & prædicans de nationum conuersione,Benedicent me bestiæ agri,syrenes & filiæ passerum.Non utiq; ab hirundinum pullis & uulpeculis,& illis mon/struosis fabulosisq; cantricibus fausta omina relaturus est. Et quid ego de isto genere amplius? cum etiam hæreticorum Apostolus ipsam legẽ indul gentem bubus terentibus,os liberum,non de bubus,sed de nobis interpre/tet:& petram potui subministrando comitem Christum adleget fuisse:do/cens proinde ad Gallatas,duo argumenta filiorum Abrahæ allegoricè cu/currisse:& suggerens Ephesijs quod in primordio de homine prædicatũ est, relicturum patrem & matrẽ:& futuris duobus in unam carnẽ,id se in Chri stum & ecclesiam agnoscere.Si satis cõstat de istis interim duabus proprie/tatibus Iudaicæ literaturæ,memento lector constitisse,ut cum tale quid ad/

Proprietas e/loquij prophetici.

hibuerimus,non retractetur de forma scripturæ,sed de statu causæ.Cũ igitur hæretica demẽtia cum Christum uenisse præsumeret,qui nunq̃ fuerat annunciatus,sequebatur ut eum Christum nondum uenisse contenderent, qui semper fuerat prædicatus:Atq; ita coacta est cum Iudaico errore sociari,& ab eo argumentationem sibi struere,quasi Iudæi certi & ipsi alium fuisse qui uenit,non modo respuerint eum ut extraneum, uerũ & interfecerint eum ut aduersarium:agnituri sine dubio,& omni officio religionis prosecuturi,si ipsorum fuisset.Scilicet nauclero illi non quidẽ Rhodia lex,sed Pontica cauerat,errare Iudæos in Christum suum non licere, quando &si nihil tale prædicatum in illos inueniretur,uel sola utiq; humana cõditio deceptui obnoxia,persuasisset,Iudæos errare potuisse, quâ homines:nec statim in præiudicium sumendum de sententia eorum,quos credibile fuerit errasse. Porrò cum & prædicatum sit non agnituros eos Christum, ideoq; etiam perempturos:Iam ergo ipse erit & ignoratus & interemptus ab illis,in quẽ ita admissuri prænotabantur.Hoc si probari exigis,non eas scripturas euoluam,quæ interemptibilem Christum edicentes utiq; & ignorabilem affirmant:nisi enim ignoratus nihil scilicet pati posset.Sed reseruatis eis ad causam passionum,eas prædicationes in præsenti sufficiet adhibere, quæ interim ignorabilem probent Christum:Et hoc breuiter,dum ostẽdunt omnẽ uim intellectus ademptam populo à creatore,Auferam,inquit,sapientiam sapientium illorum,& prudentiam prudentium eorum abscondam:Et audite audietis,& non audietis:& oculis uidebitis,& non uidebitis:Incrassatum est enim cor populi huius,& auribus grauiter audierunt,& oculos concluserunt,nequando auribus audiant,& oculis uideant,& corde conijciant,& cõuertantur,& sanem illos.Hanc enim obtunsionem salutarium sensuum meruerant,labijs diligentes deum,corde autem longè absistentes ab eo.Igitur si Christus quidem annunciabatur à creatore solidante tonitruum,& concludente spiritum,& annunciante in homines Christum suum secũdum Iohelem prophetam:si omnis spes Iudæorum nedum dicam etiam gentium, in Christi reuelationem destinabatur,sine dubio id demonstrabantur nõ agnituri & non intellecturi,ablatis & intelligentiæ uiribus sapientia atque prudentia,quod annunciabatur,id est Christus,erraturis in eum principalibus sapientibus eorum,id est scribis:& prudentibus,id est Pharisæis,pariter & populo auribus audituro,& non audituro, utique Christum docentem:& oculis uisuro,& non uisuro,utique Christum signa facientem:secundum quod & alibi,Et quis cæcus,nisi pueri mei? Et quis surdus,nisi qui dominatur eorum? Sed & cum exprobrat per eundem Esaiam,filios genera ui & exaltaui,at illi me reiecerunt,Agnouit bos possessorem suum,& asinus præsepe domini sui,Israël autem me non cognouit,& populus me non intellexit

tellexit. Nos quidem certi, Christum semper in prophetis locutum, spiritū scilicet creatoris, sicut Propheta testatur, Persona spiritus nostri Christum dominum, quia ab initio uicarius patris in dei nomine & auditus sit & uisus: Scimus ipsius uoces eiusmodi fuisse iam tunc Israëli exprobranti, quæ in illum cōmissuri prædicabantur, Dereliquistis dominum, & in iram prouocastis sanctum. Israël uero si non in Christum, sed in ipsum potius deum uolueris referre, omnem Iudaicæ ignorantiæ de pristino reputationem, nolens etiam retro sermonem & spiritum, id est Christum creatoris despectū ab eis & non agnitum, sic quoq; reuinceris. Non negans enim filium & spiritum & substantiam creatoris esse Christum eius, concedas necesse est, eos qui patrem non agnouerint, nec filium agnoscere potuisse, per eiusdem substantiæ conditionem, cuius si plenitudo intellecta non est, multo magis portio, certè quâ plenitudinis consors. His ita dispectis, iam apparet quomodo & respuerint Iudæi Christum, & interemerint, non ut extraneū Christum intelligentes, sed ut suum non agnoscentes. Qui nec extraneum intelligere potuissent, de quo nihil unquam fuerat annunciatum, non intelligere potuissent, de quo semper fuerat prædicatum? Id enim intelligi uel non intelligi capit, quod habendo substantiam prædicationis, habebit & materiam uel agnitionis uel erroris. Quod uero materia caret, non admittit sapientiæ euentum. Et adeo non quâ alterius dei, Christum auersati persecutiq; sunt, sed quâ solummodo hominem, quem planum in signis, & æmulum in doctrinis existimabant: ut & ipsum hominē quâ suū, id est Iudæum, sed Iudaismi exorbitatorem & destructorē, deduxerint in iudicium, & suo iure punierint, alienum scilicet non iudicaturi. Tanto abest ut alienum Christum intellexisse uideantur, qui nec hominē eius ut alienum iudicauerunt. Dicat nunc hæreticus, ex abundanti cum ipso licebit Iudæo, rationē quoq; errorum eius à quo ducatum mutuatus, in hac argumentatione, cæcus à cæco in eandem decidit foueam. Duos dicimus Christi habitus à prophetis demonstratos, totidem aduentus eius prænotasse: unum in humilitate, utique primum, cum tanquam ouis ad uictimam deduci habebat, & tanquam agnus ante tondentem sine uoce ita non aperiens os, ne aspectu quidē honestus: Annunciauimus enim, inquit, de illo sicut puerulus, sicut radix in terra sitienti, & non est species eius, neq; gloria. Et uidimus eum, & non habebat speciem, neq; decorem: sed species eius inhonorata, deficiens citra filios hominum, homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, ut positus à patre in lapidem offensionis & petram scandali, minoratus ab eo modicum citra angelos, uermem se pronuncians, & non hominem: ignominiam hominis, & nullificamen populi. Quæ ignobilitatis argumenta primo aduentui competunt, sicut sublimitatis secundo, cum fiet iam non lapis offensionis nec pe

Planum, hoc est impostorē

tra ſcandali,ſed lapis ſummus angularis poſt reprobationē aſſumptus, & ſublimatus in cōſummationē templi,eccleſiæ ſcilicet.Et petra ſanè illa apud Danielem de monte præciſa,quæ imaginem ſecularium regnorum cōminuet & conteret.De quo aduentu idem prophetes:Et ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis ueniens uenit uſq; ad ueterem dierum,aderat in conſpectu eius:Et qui aſſiſtebant adduxerūt illum,& data eſt ei poteſtas regia: & omnes nationes terræ ſecundum genera,& omnis gloria famulabunda, & poteſtas eius uſq; in æuum,quæ non auferetur:& regnum eius,quod nō uitiabitur.Tūc ſcilicet habiturus & ſpeciem honorabilem,& decorem indeficientem ſuper filios hominum:Tempeſtiuus enim,inquit,decore citra filios hominum,effuſa eſt gratia in labijs tuis,propterea benedixit te deus in æuum,Accingere enſem ſuper femur tuū,potens tempeſtiuitate tua & pulchritudine tua:cū & pater poſteaq; diminuit eum modicū quid citra angelos,gloria & honore coronabit illū & ſubijciet omnia pedibus eius, Tūc & cognoſcent eum qui compugerunt,& cædent pectora ſua tribus ad tribū, utiq; quod retro non agnouerunt eum in humilitate conditionis humanæ: Et homo eſt,inquit Hieremias,& quis cognoſcet illum? quia & natiuitatem eius Eſaias,quis,inquit,enarrabit? Sic & apud Zachariam in perſona Ieſu, imò & in ipſo nominis ſacramēto,uerus ſummus ſacerdos patris Chriſtus Ieſus,duplici habitu in duos aduentus deliniatur,Primo ſordidis indutus, id eſt carnis paſſibilis & mortalis indignitate, cum & diabolus aduerſabat ei,autor ſcilicet Iudæ traditoris,ne dicam etiā poſt baptiſma tentator.Dehinc deſpoliatus priſtinas ſordes, & exornatus podere & mitra & cidari munda,id eſt ſecundi aduentus gloria & honore.Si enim & duorum hircorum qui ieiunio offerebantur,faciam interpretationem,nónne & illi utrūq; ordinem Chriſti figurant? Pares quidē atq; conſimiles propter eundem dominū conſpectū, quia nō in alia uenturus eſt forma, ut qui agnoſci habeat à quibus læſus eſt.Alter autem eorum circumdatus coccino, maledictus & cōſputus,& conuulſus,& compunctus à populo extra ciuitatem abijciebatur,in perditionē,manifeſtis notatus inſignibus dominicæ paſſionis. Alter uero pro delictis oblatus,& ſacerdotibus templi in pabulum datus,ſecūdæ repræſentationis argumenta ſignabat,qua delictis omnibus expiatis ſacer-
Viſceratio. dotes tēpli ſpiritalis,id eſt eccleſiæ,dominicæ gratiæ quaſi uiſceratione quadam fruerent ieiunantibus cæteris à ſalute . Igitur quoniā primus aduētus & plurimum figuris obſcuratus , & omni inhoneſtate proſtratus canebat, Secundus uero & manifeſtus & deo condignus:idcirco quem facile & intelligere & credere potuerunt,eum ſolū intuentes,id eſt ſecundum,nō immerito decepti ſunt circa obſcuriorem certè indigniorem,id eſt primum: Atque ita in hodiernum negant ueniſſe Chriſtum ſuum,quia non in ſublimitate

ueneri

uenerit,dum ignorant etiam in humilitate fuisse uenturum. Desinat nunc hæreticus à Iudæo, Aspis(quod aiunt)à uipera mutuari uenenũ : euomat iam hinc proprij ingenij uirus,phantasma uindicans Christum, nisi quod & ista sententia alios habebit autores,præcoquos & abortiuos quodãmodo Marcionitas,quos Apostolus Ioannes Antichristos pronunciauit,negantes Christum in carne uenisse,& tamen non ut alterius dei ius constituerent,quia & † de isti notati fuissent,sed quoniam incredibile præsumpserãt deum carnẽ. Quo magis Antichristus Marcion sibi eã rapuit præsumptionem,aptior scilicet ad renuendam corporalẽ substãtiam Christi,qui ipsum deum eius nec autorem carnis induxerat,nec resuscitatorẽ,optimum uidelicet,& in isto,& diuersissimũ à mendacijs & fallacijs creatoris. Et ideo Christus eius ne mentiretur,ne falleret,& hoc modo creatoris forsitan deputaretur,non erat quod uidebatur,& quod erat mentiebat̃,caro nec caro, homo nec homo. Proinde deus Christus,nec deus. Cur enim non etiam dei phantasma portauerit? An credam ei de interiore substantia,qui sit de exteriore frustratus? Quomodo uerax habebit̃ in occulto,tã fallax repertus in aperto? Quomodo autẽ in semetipso ueritatẽ spiritus fallacia carnis confundẽs, nec addã ab Apostolo,lucis,id est ueritatis,& fallaciæ,id est tenebrarũ commisit cõmunicationem? Iam nunc cũ mendacium deprehenditur Christus, caro:sequitur,ut & omnia quæ per carnem Christi gesta sunt,mendacio gesta sint,Congressus, contactus, conuictus,ipsæ quoq; uirtutes. Si enim tangendo aliquẽ liberauit à uitio,uel tactus ab aliquo,quod corporaliter actũ est,nõ potest uere actũ credi,sine corporis ipsius ueritate. Nihil solidum ab inani,nihil plenũ à uacuo perfici licuit. Putatiuus habitus,putatiuus actus: imaginarius operator,imaginariæ operæ. Sic nec passiones Christi eius fidẽ merebuntur. Nihil enim passus est,qui non uerè est passus. Verè autẽ pati,phantasma non potuit. Euersum est igitur totum dei opus. Totum Christiani nominis & pondus & fructus,mors Christi negatur, quam tam impressè Apostolus demandat,utiq; ueram,summũ eam fundamentũ Euangelij constituens,& salutis nostræ & prædicationis suæ, Tradidi enim,inq;,uobis in primis,quod Christus mortuus sit pro peccatis nostris,& quod sepultus sit,& quod resurrexit tertia die. Porrò si caro eius negatur,quomodo mors eius asseueratur,quæ propria carnis est passio,per mortem deuertentis in terram,de qua est sumpta, secundum legem sui autoris? Negata uero morte dum caro negatur,nec de resurrectione constabit. Eadem enim ratione non resurrexit,qua mortuus non est,non habendo substantiam scilicet carnis,cuius sicut & mors,ita & resurrectio est. Proinde resurrectione Christi infirmata , etiam nostra subuersa est . Nec ea enim ualebit , propter quam Christus uenit,si Christus nõ ualebit. Nam sicut illi qui dicebãt

Prouerbium.

Forte,de isto.

resurrectionem mortuorum non esse, reuincuntur ab Apostolo ex resurrectione Christi: ita resurrectione Christi non consistente, aufertur & mortuorum resurrectio. Atque ita inanis est & fides nostra, inanis est prædicatio Apostolorum. Inueniuntur autem etiam falsi testes dei, quod testimoniũ dixerint quasi resuscitauerit Christum, quem non resuscitauit. Et sumus adhuc in delictis. Et qui in Christo dormierunt, perierunt: sanè resurrecturi, sed phantasmate forsitan sicut & Christus. In ista quæstione qui putaueris opponendos esse nobis angelos creatoris, quasi & illi in phantasmate putatiuæ utique carnis egerint apud Abraham & Loth, & tamen uerè sint & congressi, & pasti, & operati quod mandatum eis fuerat, Primo non admitteris ad eius dei exempla quem destruis. Nam & quanto meliorem & perfectiorem deum inducis, tanto non competunt illi eius exempla, quo nisi diuersus in totum, non erit omnino melior atque perfectior. Dehinc scito, nec illud concedi tibi, ut putatiua fuerit in angelis caro, sed ueræ & solidæ substantiæ humanæ. Si enim difficile non fuit illi, putatiuæ carnis ueros & sensus & actus exhibere, multo facilius habuit ueris & sensibus & actibus ueram dedisse substantiam carnis, uel quâ proprius autor & artifex eius. Tuus autem deus eo quod carnem nullam omnino produxerit, merito fortasse phantasma eius intulerit, cuius non ualuerat ueritatem. Meus autem deus qui illam de limo sumptam, in hac reformauit qualitate, nondum ex semine coniugali, & tamen carnem, æque potuit ex quacunq; materia angelis quoq; astruxisse carnem, qui etiam mundum ex nihilo in tot & talia corpora, & quidem uerbo ædificauit. Et utiq; si deus tuus ueram quãdoq; substantiam angelorum hominibus pollicetur, erunt enim, inquit, sicut angeli, cur non & deus meus ueram substantiam hominum angelis accõmodarit, unde sumptam? Quia nec tu mihi respondebis, unde illa apud te angelica sumatur, sufficit mihi hoc definire, quod deo cõgruit, ueritatem scilicet eius rei quã tribus testibus sensibus obiecit, uisui, tactui, auditui. Difficilius deo mentiri, quàm carnis ueritatem unde producere, licet non natæ. Cæterũ & alijs hæreticis definientibus carnem illam in angelis ex carne nasci debuisse, si uerè fuisset humana, certa ratione respondemus, qua & humana uere fuerit, & innata, Humana uerè propter dei ueritatem à mendacio & fallacia extranei. & quia non possent humanitus tractari ab hominibus, nisi in substantia humana. Innata autem, quia solus Christus in carnem ex carne nasci habebat, ut natiuitatẽ nostram natiuitate sua reformaret. Atq; ita etiam mortẽ nostram, morte sua dissolueret, resurgendo in carne in qua natus est, ut & mori posset. Ideoq; & ipse cũ angelis tunc apud Abraham in ueritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ, quia nondum morituræ, sed & discentis iam inter homines conuersari. Quo magis angeli neq; ad morien-

Videtur unde usurpare pro alicunde.

dum

dum pro nobis dispositi,breuem carnis cõmeatum non debuerunt nascendo sumpsisse,quia nec moriendo deposituri eam fuerant:sed unde sumptã, & quoquo modo mentiti omnino dimissam,mentiti eam tamen non sunt. Si creator facit angelos spiritus,& apparitores suos ignem flagrantem:tam uere spiritus q̃ & ignem, idem illos uere fecit & carnem:ut nũc recordemur & hæreticis renunciemus eius esse promissum,homines in angelos reformãdi quandoq; qui angelos in homines formarit aliquando.Igitur non admissum ad consortium exemplorum creatoris ut alienorum,& suas habentium causas,uelim ædas & ipse consilium dei,uti quo Christum suum non in ueritate carnis exhibuit,si aspernatus est illam ut terrenam,& (ut dicitis) stercoribus infersam,cur non & simulachrum eius proinde despexit? Nullius enim dedignandæ rei imago dignãda est.Sequitur statum similitudo. Sed quomodo inter homines conuersaretur, nisi per imaginem substantiæ humanæ? Cur ergo non potius per ueritatem,ut uere conuersaretur si necesse habebat conuersari? quanto dignius necessitas fidem,quàm † stofam administrasset? Satis miserum deum instituis,hoc ipso quod Christum suum non potuit exhibere nisi in indignæ rei effigie,& quidem alienæ. Aliquantis enim indignis conueniet uti nostris:sicut alienis non congruet uti,licet dignis.cur enim non in aliqua alia digniore sustbantia uenit,& in primis sua, ne & indigna & aliena uideretur eguisse? Si creator meus per rubum quoq; & ignem,id est postea per nubem & globum cum homine congressus est, & elementorũ corporibus in repræsentationibus sui usus est,satis hæc exẽpla diuinæ potestatis ostendunt,deum non eguisse aut falsæ aut etiã ueræ carnis paratura. Cæterum si ad certũ spectamus,nulla substantia digna est quã deus induat.Quodcunq; induerit ipse dignum facit,absq; mẽdacio tamen.Et ideo quale est,ut dedecus existimarit ueritatem potius quàm mendacium carnis? Atquin honorauit illã fingendo.Quanta iam caro est,cuius phantasma necessariũ fuit deo superiori? Totas istas præstigias putatiuæ in Christo corpulentiæ,Marcion illa intentione suscepit, ne ex testimonio substantiæ humanæ,natiuitas quoq; eius defenderetur, atq; ita Christus creatoris uindicaretur,ut qui nascibilis ac per hoc carneus annunciaretur. Stultissimè & hic Ponticus,quasi non facilius crederetur caro in deo nõ nata,quàm falsa,præstruentibus uel maxime fidem istam angelis Creatoris in carne uera conuersatis,nec tamẽ nata. Nam & Philumene illa magis per suasit Apelli,ceterisq; desertoribus Marcionis,ex fide quidem Christum circumtulisse carnẽ,nullius tamen natiuitatis, utpote de elementis eã mutuatum.Quod si uerebatur Marcion,ne fides carnis, natiuitatis quoq; fidem induceret,sine dubio qui homo uidebatur,natus utiq; credebatur.Nam & mulier quædam exclamauerat,Beatus uenter qui te portauit,& ubera quæ

Fort. strophã

Philumene.

hausi

hauſiſti. Et quomodo mater & fratres eius dicti ſunt foris ſtare? Et uidebimus de his capitulis ſuo tempore. Certè cum & ipſe ſe filium hominis prædicaret, natum ſcilicet profitebatur. Nunc & hæc omnia ad Euangelij diſtulerim examinationem: tamen quod ſupra ſtatui, ſi omni modo natus credi habebat qui homo uidebatur, uanè natiuitatis fidem conſilio imaginariæ carnis expungendam putauit. Quid enim profuit nõ uerè fuiſſe quod pro uero haberetur, tam carnẽ quàm natiuitatem: aut ſi dixeris, Viderit opinio humana, iam deum tuum honoras fallaciæ titulo, ſi aliud ſe ſciebat eſſe, cũq; quod homines fecerat opinari. Iam tunc potuiſti etiam natiuitatem putatiuam illi accõmodaſſe, ne in hanc quoq; impegiſſes quæſtionem. Nam & mulierculæ nonnunq; prægnantes ſibi uidentur, aut ſanguinis tributo, aut aliqua ualetudine inflatæ. Et utiq; debuerat phantaſmatis ſcenam decucurriſſe,† ne originem carnem non dealtaſſet, qui perſonam ſubſtantiæ ipſius egiſſet. Planè natiuitatis mendacium recuſaſti. Ipſam enim carnem ueram ædidiſti. Turpiſſimum ſcilicet dei, etiam uera natiuitas. Age iam perora in illa ſanctiſſima & reuerenda opera naturæ, inuehere in totũ quod es, carnis atq; animæ originem deſtrue: cloacam uoca uterum tãti animalis, id eſt hominis producendi officinam: perſequere & partus immunda & pudenda tormenta, & ipſius exinde puerperij ſpurcos, anxios,† ludicros exitus. Tamẽ cum omnia iſta deſtruxeris, ut deo digna confirmes, nõ erit indignior morte natiuitas, & cruce infantia, & natura pœna, & carne damnatio. Si uerè iſta paſſus eſt Chriſtus, minus fuiſſet naſci. Si mendacio paſſus eſt, ut phantaſma, potuit & mendacio naſci. Summa iſta Marcionis argumenta, per quæ alium efficit Chriſtum, ſatis opinor oſtendimus, non conſiſtere omnino, dum docemus magis utique competere deo ueritatem quàm mendacium eius habitus, in quo Chriſtum ſuum exhibuit. Si ueritas fuit, caro fuit: ſi caro fuit, natus eſt. Ea enim quæ expugnat hæc hæreſis, confirmantur, cum ea per quæ expugnat deſtruũtur. Itaq; ſi carneus habebitur, quia natus, & natus quia carneus, quia phantaſma non fuerit, ipſe erit agnoſcendus, qui in carne & ex natiuitate uenturus annunciabatur à creatoris Prophetis, utpote Chriſtus creatoris. Prouoca nunc, ut ſoles, ad hanc Eſaiæ comparationẽ Chriſti, contendens illam in nullo conuenire. Primo enim, inquis, Chriſtus Eſaiæ Emmanuel uocari habebit, dehinc uirtutem ſumere Damaſci & ſpolia Samariæ, aduerſum regem Aſſyriorum. Porrò iſte qui uenit, neque ſub eiuſmodi nomine eſt æditus, neque ulla re bellica functus eſt. At ego te admonebo uti cohærentia quoque utriuſque capituli recognoſcas. Subiuncta eſt enim & interpretatio Emmanuelis, nobiſcum deus, uti non ſolum ſonum nominis ſpectes, ſed & ſenſum. Sonus enim Hebraicus, quod eſt Emmanuel, ſuæ gentis eſt. Senſus autem eius, quod eſt deus nobſcum, ex interpretatione

Conijcio leg. Næ originem carne nõ dealtaſſet.

Al's, lubricos.

pretatione communis est. Quære ergo an ista uox, nobiscum deus, quod est Emmanuel, exinde quod Christus illuxit, agitetur in Christo. Et puto non negabis, utpote qui & ipse dicas, deus nobiscum dicitur, id est Emmanuel. Aut si tam uanus es, ut quia penes te nobiscum dicitur, non Emmanuel, idcirco nolis uenisse illum cuius proprium sit uocari Emmanuel, quasi non hoc sit & deus nobiscum: inuenies apud Hebræos Christianos, imò & Marcionitas Emmanuelem nominare, cum uolunt dicere nobiscum deus: sicut & omnis gens quoquo sono dixerit, deus nobiscum deus, Emmanuelem pronunciauit, in sensu sonum expungens. Quod si Emmanuel nobiscum deus est, deus autem nobiscũ Christus est, qui etiam in nobis est, quot quot enim in Christum tincti estis, Christum induistis, tam proprius est Christus in significatione nominis, quod est nobiscum deus, quàm in sono nominis, quod est Emmanuel. Atque ita constat uenisse iam illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel uenit, id est nobiscũ deus. Æque sono nominum duceris, cum uirtutem Damasci, & spolia Samariæ, & regem Assyriorum, sic accipis quasi bellatorem portendant Christum creatoris, non animaduertens quid scriptura promittat. Quoniã priusquàm cognoscat uocare patrem & matrem, accipiet uirtutem Damasci & spolia Samariæ aduersus regem Assyriorum. Antè est enim inspiciat ætatis demonstrationem, an hominem iam Christum exhibere possit, nedũ imperatorem. Scilicet uagitu ad arma esset conuocaturus infans, & signa belli non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo uel de curru uel de muro, sed de nutricis aut gerulæ suæ collo siue dorso hostem destinaturus: atq; ita Damascum & Samariam pro mamillis subacturus. Aliud est si penes Ponticos, Barbaricæ gentis infantes in prælium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui ante norint lanceare quàm † lancinare. Enimuero si nusquam hoc natura concedit, antè militare quàm uiuere, antè uirtutem Damasci sumere quàm patris & matris uocabulum nosse, sequitur ut figurata pronunciatio uideatur. Sed & uirginem, inquit, parere natura non patitur, & tamen creditur prophetæ. Et merito. Præstruxit enim fidem incredibili rei, rationem ædendo quod in signo esset futura. Propterea, inquit, dabit uobis dominus signum, Ecce uirgo concipiet in utero, & pariet filium. Signum autem à deo nisi nouitas aliqua monstruosa tam dignum non fuisset. Denique & Iudæi siquando ad nos deijciendos mentiri audent, quasi non uirginem, sed iuuenculam concepturam & parituram contineat, hinc reuincuntur, quod nihil signi uideri possit, res cottidiana iuuenculæ scilicet prægnatus & partus. In signum ergo disposita uirgo, & mater, merito crederetur: infans uero bellator non æque. Non enim & hic signi ratio uersatur. Sed signo natiuitatis nouæ

Manu scripta codex hic habebat lancinare. Quẽadmodum etiam in lib. aduersus Iudæos legendum est pag. 135. uers. 36. Vbi nos exemplaris inemendatioris fidẽ secuti, lacinia re scribẽdum monuimus. habet aũt ipsum schema plus gratiæ si lancinare legas, quàm si laciniare, ꝓpter uiciniorem allusionẽ. Est uero lancinare ferire & lacerare.

nouæ aſſcripto,exinde poſt ſignum alibi ordo iam infantis edicitur, mel & butyrum manducaturi. Nec hoc utiq; in ſignum eſt,malitiæ nō aſſentaturi, & hoc enim infantia eſt,ſed accepturi uirtutem Damaſci & ſpolia Samariæ aduerſus regem Aſſyriorum. Serua modum ætatis,& quære ſenſum prædicationis:imò redde Euangelio ueritatis,quæ poſterior detraxiſti,& tam intelligitur prophetia,quàm renunciatur expuncta. Maneant autem orientales illi Magi,in infantia Chriſtum recentem auro & thure munerantes,& accepit infans uirtutem Damaſci ſine prælio & armis. Nam præter quod omnibus notum eſt,orientis uirtutem,id eſt uim & uires auro & odoribus pollere ſolitam,certè eſt creatori uirtutem cæterarum quoq; gentium aurū conſtituere,ſicut per Zachariam,Et Iudas prætendet apud Hieruſalem,& congregabit omnem ualentiam populorum per circuitum aurum & argentum. De illo autem tunc auri munere etiam Dauid, Et dabitur illi ex auro Arabiæ. Et rurſus,Reges Arabū & Saba munera offerent illi. Nam & Magos reges habuit ferè Oriens,& Damaſcus Arabiæ retro deputabatur,antequàm tranſcripta erat in Syrophœnicen,ex diſtinctione Syriarum,cuius tunc uirtutem Chriſtus accepit,accipiendo inſignia eius,aurū ſcilicet & odores: Spolia autem Samariæ,ipſos Magos: qui cum illū cognouiſſent,& muneribus honoraſſent, & genu poſito adoraſſent quaſi deum & regem ſub teſtimonio indicis & ducis ſtellæ,ſpolia ſunt facti Samariæ,id eſt idololatriæ, credentes uidelicet in Chriſtum. Idololatriam enim Samariæ nomine notauit,ut ignominioſæ ob idololatriam qua deſciuerat tunc à deo ſub rege Hieroboam. Nec hoc enim nouum eſt creatori figuratè uti translatione nominū,ex comparatione criminū. Nam & ἄρχοντας Sodomorum,appellat ἄρχοντας Iudæorum,& populum ipſum,populum Gomorræ uocat. Et idē alibi: Pater,inquit,tuus Amorreus & mater tua Cethea: ob conſimilem impietatem, Quos aliquando etiam ſuos filios dixerat,filios generaui & exaltaui. Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum, ſuperſtitionis & maledictionis elogio. Sic & Babylon etiam apud Ioannem noſtrū Romanæ urbis figura eſt,proinde magnæ & regno ſuperbæ & ſanctorum dei debellatricis. Hoc itaq; uſu Magos quoq; Samaritarum appellatione titulauit,deſpoliatos quod habuerant cum Samaritis, ut diximus, idololatriam. Aduerſus regem autem Aſſyriorum,aduerſus Herodem intellige,cui utiq; aduerſati ſunt Magi,tunc non renūciando de Chriſto, quē intercipere quærebat. Adiuuabitur hæc noſtra interpretatio,dū & alibi bellatorem exiſtimans Chriſtum,ob armorum quorundam uocabula & eiuſmodi uerba,ex reliquorum quoq; ſenſuum comparatione conuinceris: Accingere,inquit Dauid,enſe ſuper femur. Sed quid ſupra legis de Chriſto? Tempeſtiuus decore præter filios hominum,effuſa eſt gratia in labijs tuis.

Forte,legēdū eſt,non aſſentaturum, Et mox acceptu rum uirtutē.

Roma Babylon.

Rideo

Rideo,si quem ad bellum ense cingebat,ei de tempestiuitate decoris, & labiorum gratia blandiebatur:Sic item subiungens,& extende & prosperare & regna:adiecit,propter ueritatem & lenitatem & iustitiam.Quis enim ense operabitur,& non contraria potius dolum & asperitatem & iniustitiam, propria scilicet negocia prælioru? Videamus ergo an alius sit ensis ille,cuius alius est actus.Nam & Apostolus Ioānes in Apocalypsi ensem describit ex ore dei prodeuntem bis acutum,præacutum,quem intelligi oportet sermonem diuinum,bis acutum duobus testamentis legis & Euangelij,acutum sapientia,infestum diabolo armantem nos aduersus hostes spiritales nequitiæ,& concupiscentiæ omnis,amputantē etiam à charissimis ob dei nomen. Quod si Ioannem agnitum non uis, habes communem magistrum Paulum,præcingentem lumbos nostros ueritate & lorica iustitiæ, & calciantem nos præparatione Euangelij pacis,non belli:assumere iubentem scutum fidei,in quo possimus omnia diaboli ignita tela extinguere, & galeam salutaris,& gladium spiritus,quod est,inquit,dei sermo. Hanc & dominus ipse machæram uenit mittere in terram,non pacem. Si tuus Christus est, ergo & ipse bellator est. Si bellator non est,machæram intentans allegoricam,licuit ergo & Christo creatoris in psalmo sine bellicis rebus ense sermonis præcingi figurato,cui supradicta tempestiuitas congruat,& gratia labiorū, quem tunc iam cingebatur super femur apud Dauid, quandoq; missurus in terram.Hoc est enim quod ait,Et extende & prosperare & regna. Extendens sermonem in omnem terram,ad uniuersarum gentium uocationem, prosperaturus successu fidei,quâ est receptus,& regnans exinde quâ mortē resurrectione deuicit.Et deducit te,inquit,mirificè dextera tua. Virtus scilicet gratiæ spiritalis,qua Christi agnitio deducitur.Sagittæ tuæ acutæ, peruolantia ubiq; præcepta,& minæ & traductiones cordis compungentes & transfigurantes conscientiam quanq;,Populi sub te concident, utique adorantes. Sic bellipotens & armiger Christus creatoris: sic & nunc accipiens spolia non solius Samariæ,uerum & omnium gentium. Agnosce & spolia figurata,cuius & arma allegorica didicisti.Figuratè itaq; & domino eiusmodi loquente,& Apostolo scribente, non temere interpretationibus eius utimur,quarum exempla etiam aduersarij admittunt,atq; ita in tantū Esaiæ erit Christus qui uenit,in quantum non fuit bellator,quia nō talis ab Esaia prædicat.De quæstiōe carnis, & per eam natiuitatis,& unius interim numinis Emmanuelis huc usq;. De cæteris uero noibus,& in primis Christi,quid pars diuersa respōdebit? Si proinde cōmune est apud uos Christi nomen,quemadmodum & dei,ut sicut utriusq; dei filium Christum competat dici,sic utrumq; patrem dominum: certa ratio huic argumentationi refragabitur. Dei enim nomen quasi naturale diuinitatis, potest in omnes

communicari,quibus diuinitas uindicatur,ſicut & idolis,dicente Apoſtolo, Nam & ſunt qui dicuntur dij,ſiue in cœlo,ſiue in terris. Chriſti uero nomen non ex natura ueniens,ſed ex diſpoſitione, proprium eius efficitur, à quo diſpoſitũ inuenitur. Nec in cõmunicationẽ alij deo ſubiacet,maximè æmulo,& habenti ſuam diſpoſitionem,cui & nomina priuata debebit. Quale eſt enim quod diuerſas diſpoſitiones duorũ cõmentati deorum, ſocietatẽ nominum admittũt,in diſcordiam diſpoſitionũ? quando nulla magis probatio aſſiſteret duorũ & æmulorum deorum,cũq; ſi in diſpoſitionẽ eorũ etiã diuerſitas nominum inueniretur. Nullus enim ſtatus differentiarum,non niſi proprietatibus appellationũ conſignatur. Quibus deficientibus ſiquando, nunc Græca catachreſis de alieno abutendo ſuccurrit:apud deum autem deficere puto nihil debet,nec de alieno inſtrui diſpoſitiones eius. Quis hic deus eſt,qui filio quoq; ſuo nomina à creatore uendicat? non dico aliena, ſed uetera & uulgata,quæ uel ſic non competerẽt deo nouo & incognito. Quomodo deniq; docet nouã plagulam non adſui ueteri ueſtimento,nec uinũ nouũ ueteribus utribus credi,aſſutus ipſe & indutus nominũ ſenio? Quomodo abſcidit Euangeliũ à lege,tota lege ueſtitus? in nomine ſcilicet Chriſti. Quis illũ prohibuit aliud uocari,aliud prædicantem, aliunde uenientẽ, cũ propterea nec corporis ſuſceperit ueritatẽ,ne Chriſtus creatoris crederetur? Vanè autem noluit eum ſe uideri,quem uoluit uocari:quando & ſi uere corporeus fuiſſet,magis Chriſtus creatoris non uideretur,ſi nõ uocaret. At nunc ſubſtantiam reſpuit,cuius nomen accepit,etiam ſubſtantiam probaturus ex nomine. Si enim Chriſtus unctus eſt, ungui utique corporis paſſio eſt: qui corpus non habuit, ungui omnino non potuit. Qui ungui omnino non potuit, Chriſtus uocari nullo modo potuit. Aliud eſt, ſi & nominis phantaſma affectauit. Sed quomodo,inquit,irreperet in Iudæorum fidẽ,niſi per ſolẽne apud eos & familiare nomẽ? Inconſtantẽ aut ſubdolum deum narras.aut diffidentiæ,aut malitioſitatis conſiliũ eſt,fallẽdo quid promouere. Multo liberius atq; ſimplicius egerunt pſeudoprophetæ,aduerſus creatorem in ſui dei nomine uenientes. Sed nec effectũ conſilij huius inuenio, cum facilius aut ſuum crediderint Chriſtũ,aut planum potius aliquem,quàm alterius dei Chriſtũ,ſicut Euangelium probabit. Nunc ſi nomen Chriſti ut ſportulam furunculus captauit,cur etiã Ieſus uoluit appellari, nõ tam expectabili apud Iudæos nomine? Nec enim ſi nos per dei gratiam intellectum conſequuti ſacramentorũ eius,hoc quoq; nomẽ agnoſcimus Chriſto deſtinatum,ideo & Iudæis quibus adempta eſt ſapiẽtia,nota erit res. Deniq; ad hodiernũ,Chriſtum ſperant nõ Ieſum,& Heliã potius interpretantur Chriſtum cũq; Ieſum. Qui ergo & in eo nomine uenit in quo Chriſtus præſumebat, potuit in eo ſolo nomine ueniſſe quod ſolũ præſumebatur.

Planum,hoc eſt impoſtorẽ.

mebat. Cæterum cum duo miscuit, speratũ & insperatũ, expugnatur utrũque consiliũ eius. Siue enim in deo Christus, ut interim quasi creatoris irreperet, †obrepit Iesus, quia nõ sperabat Iesus in Christo creatoris, siue ut alterius haberetur, non sinit Christus, quia non alterius sperabatur Christus quàm creatoris. Quid horum constare possit ignoro. Constabit autem utrumq; in Christo creatoris, in quo inuenitur etiam Iesus. Quomodo inquis? disce & hic cum partiarijs erroris tui Iudæis. Cum successor Moysi destinaretur Auses filius Naue, transfertur certè de pristino nomine, & incipit uocari Iesus. Certè, inquis, hanc prius dicimus figurã futuri fuisse. Nam quia Iesus Christus secundum populum, quod sumus nos, nati in seculi desertis, introducturus erat in terram promissionis melle & lacte manantem, id est uitæ æternæ possessionem, qua nihil dulcius, idq; non per Moysen, id est non per legis disciplinam, sed per Iesum, per Euangelij gratiam prouenire habebat, circumcisis nobis petrina acie, id est Christi. Petra enim Christus. Ideo is uir qui in huius sacramẽti imagines parabatur, etiam nominis dominici inauguratus est figura, Iesus cognominatus. Hoc nomen ipse Christus suum iam tunc esse testatus est, cum ad Moysen loquebatur. Quis enim loquebatur nisi spiritus creatoris, qui est Christus? Cum ergo mandato diceret populo, Ecce ego mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui te custodiat in uia, & introducat in terram quam paraui tibi, intendite illi & exaudite eum, ne inobaudieritis eum. Nõ enim cælaui te, quoniam nomen meum super illum est. Angelum quidem meum dixit ob magnitudinem uirtutũ quas erat æditurus, & ob officium prophetæ nunciantis scilicet diuinam uoluntatem: Iesum autẽ ob nominis sui futuri sacramentum. Identidem nomen suum confirmauit, quod ipse ei indiderat, quia non angelum, nec Ausen, sed Iesus eum iusserat exinde uocitari. Ergo si utrumq; nomen competit in Christum creatoris, tanto utrumque non competit in Christũ non creatoris, sicut non reliquus ordo. Facienda est denique iam hinc inter nos certa ista & iusta præscriptio, & utrique parti necessaria, qua determinatum sit nihil omnino commune esse debere alterius dei Christum, cum Christo creatoris. Nam & à uobis proinde diuersitas defendenda est, sicut à nobis repugnanda est: quia nec uos probare poteritis alterius dei uenisse Christum, nisi eum longè aliũ demõstraueritis à Christo creatoris: nec nos eum creatoris uendicare, nisi talem eum ostenderimus, qualis constituitur à creatore. De nominibus iam obduximus. Mihi uendico Christum, mihi defendo Iesum. Reliquum ordinem eius cum scripturis conferamus. Quod cunque illud corpusculum sit, quoniam habitum, & quoniam conspectum fuit, si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus, talis enim habitu & aspectu annunciabatur. Adest rursus Esaias: Annunciauimus, inquit,

Forte, ideo. Opinor legẽdum pro obrepit, obstrepit Iesus.

quit,coram ipso uelut puerulus,uelut radix in terra sitienti,& non est species eius neq; gloria : & uidimus eum,& non habebat speciē neq; decorem.Sed species eius inhonorata,deficiens citra omnes homines . Sicut & supra patris ad filium uox.Quemadmodū expauescent multi super te,sic sine gloria erit ab hominibus forma tua.Nam etsi tempestiuus decore apud Dauid citra filios hominū,sed in allegorico illo statu gratiæ spiritalis : Cum accingitur ense sermonis,qui uerè species & decor & gloria ipsius est:cæterū habitu incorporabili apud eundem Prophetam,uermis etiam & non homo,ignominia & nullificamen populi . Neq; interiorem qualitatem eius,eiusmodi annuncias . Si enim plenitudo in illo spiritus constitit,agnosco uirgam de radice Iesse.flos eius meus erit Christus in quo requieuit secūdum Esaiam spiritus sapientiæ & intellectus,spiritus consilij & uigoris, spiritus agnitionis & pietatis,spiritus timoris dei.Neq; enim ulli hominum,diuersitas spiritalium documentorū cōpetebat nisi in Christū,flori quidē ob gratiam spiritus adæquatum,ex stirpe aūt Iesse deputatum per Mariam inde censendam.Expostulo autem de proposito,si das ei omnis humilitatis & patientiæ & tranquillitatis intentionē,& ex his Esaiæ erit Christus, homo in plaga,& sciens ferre imbecillitatem:qui tanq; ouis ad uictimam adductus est, & tanquam agnus ante tondentē non aperuit os.Qui neq; contendit neq; clamauit,nec audita est foris uox eius,qui harundinē contusam,id est quassam Iudæorū fidē non cōminuit,qui linum ardens,id est momētaneum ardorem gentium non extinxit.Non potest alius esse, q; qui prædicebatur. Oportet actum eius ad scripturarū regulam recognosci, duplici, nisi fallor, operatione distinctum,prædicationis & uirtutis.Sed de utroq; titulo sic disponam,ut quoniā ipsum quoq; Marcionis euangelium excuti placuit, de speciebus doctrinarū & signorū illud differamus quasi in rem præsentem. Hic autē generaliter expungamus ordinē cœptum, docentes prædicatorē interim annunciari Christum per Esaiam: Quis enim,inquit, in uobis qui deū metuit, & exaudiet uocē filij eius ? Item medicatorē.Ipse enim,inquit, imbecillitates nostras abstulit,& languores portauit.De exitu planè puto diuersitatem tentatis inducere,negantes passionē crucis in Christū creatoris prædicatam,& argumētantes insuper non esse credendū,ut in id genus mortis exposuerit creator filiū suum, quod ipse maledixerat:Maledictus, inquit,omnis qui pependerit in ligno.Sed huius maledictionis sensum differo dignæ sola prædicatione crucis,de qua nūc maximè quæritur,quia & aliâs antecedit rerum probatio,rationē.De figuris prius edocebo. Et utiq; uel maxime sacramentū istud figurari in prædicatione oportebat:quāto incredibile,tanto magis scandalo futurū,si nude prædicaret:quantoq; magnificū,tāto magis obumbrandū,ut difficultas intellectus gratiā dei quæreret

Forte,illuc.

reret. Itaq; in primis Isaac cum à patre in hostiam deditus, lignum sibi ipse portaret, Christi exitum iam tunc denotabat, in uictimam concessi à patre, & lignum passionis suæ baiulantis. Ioseph & ipse Christum figuratus, nec hoc solo (ne demorer cursum) quod persecutionē à fratribus passus est ob dei gratiam, sicut & Christus à Iudæis, carnaliter fratribus, cum benedicitur à patre, etiam in hæc uerba, Tauri decor eius, cornua unicornis cornua eius, in eis nationes uentilabit pariter ad summum usq; terræ. Non utique rhinoceros destinabatur unicornis, nec Minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur, taurus ob utramq; dispositionē, alijs ferus ut iudex, alijs mansuetus ut saluator. Cuius cornua essent crucis extrema. Nam & in antemna, quæ crucis pars est, extremitates cornua uocantur. Vnicornis autem †media stipitis palus. Hac deniq; uirtute crucis, & hoc more cornutus, uniuersas gentes & nunc uentilat per fidem, auferens à terra in cœlū, & tunc per iudicium uentilabit, deijciens de cœlo in terram. Idem erit & alibi Taurus apud eandē scripturam, cum Iacob in Simeonem & Leui, id est in Scribas & Pharisæos (ex illis enim deducitur census istorum.) Spiritaliter interpretatur, Simeon & Leui perfecerunt iniquitatē, ex sua hæresi, qua scilicet Christum sunt persecuti. In concilium eorum ne uenerit anima mea, & in stationem eorū ne incubuerint iecora mea, quia in indignatione sua interfecerūt homines, id est Prophetas, & in concupiscentia sua ceciderunt neruos, tauro, id est Christo, quem post necem Prophetarum suffigendo, neruos utiq; eius, clauis desæuierunt. Cæterum uanum si post homicidia, alicuius bouis illis exprobrat carnificinā. Iam uero Moyses quid utiq; tunc tātum cū Iesus aduersus Amalech præliabatur, expansis manibus orat residens, quando in rebus tam attonitis, magis utiq; genibus dispositis, & manibus cædētibus pectus, & facie humi †uolutante, orationem cōmendare debuisset? nisi quia illic ubi est nomen domini, dimicabat, dimicaturi quandoq; aduersus diabolum, crucis quoq; erat habitus necessarius, per quam Iesus uictoriam esset relaturus. Idem rursus Moyses post interdictam omnis rei similitudinē, cur æreum serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum salutare proposuit? An & hic dominicæ crucis uim intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuiq; à spiritalibus colubris, intuenti tamen & credenti in eam, sanitas morsuum peccatorum, & sanitas exinde prædicabatur? Age nunc si legisti penes Dauid, dominus regnauit à ligno, expecto quid intelligas, nisi forte lignarium aliquē regem significari Iudæorū, & nō Christū, qui exinde à passione ligni superata morte regnauit. Etsi em̄ mors ab Adam regnauit usq; ad Christum, cur Christus non regnasse dicat à ligno, ex quo crucis ligno mortuus, regnū mortis exclusit? Proinde & Esaias: Quoniam, inquit, puer natus est nobis. Quid noui si non de filio dei dicit?

Forte, medij stipitis.

Forte, uoluta ta.

& datus est nobis,cuius imperium factum est super humerum ipsius.Quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema,aut manu sceptrum,aut aliquã propriæ uestis notam? Sed solus nouus rex nouorum æuorum Christus Iesus,nouæ gloriæ & potestatem & sublimitatẽ suam humero extulit,crucẽ scilicet,ut secundũ superiorem prophetiam exinde dñs regnaret à ligno.Hoc lignũ & Hieremias tibi insinuat, » dicturis prædicans Iudæis, Venite inijciamus lignum in panem eius, utiq; » in corpus.Sic enim deus in euangelio quoq; uestro reuelauit, panẽ corpus » suũ appellans,ut & hinc iam eũ intelligas corporis sui figuram panis dedis » se,cuius retro corpus in panẽ Prophetes figurauit,ipso domino hoc sacramentum postea interpretaturo.Si adhuc quæris dominicæ crucis prædicationem,satis iam tibi potest facere uigesimusprimus psalmus totam Christi continens passionẽ,canentis iam tunc gloriã suã:Foderunt, inquit, manus meas,& pedes,quæ propria atrocia crucis.Et rursus cũ auxilium patris implorat:Saluum,inquit,fac me ex ore leonis, utiq; mortis,& de cornibus unicornis humilitatẽ,de apicibus scilicet crucis,ut supra ostendimus. Quã crucẽ nec ipse Dauid passus est,nec ullus rex Iudæorũ,ne putes alterius alicuius,qui solus à populo tã insigniter crucifixus est.Nũc & si oẽs istas interpretationes respuerit & irriserit,hæretica duritia,concedã illi nullam Christi crucem significare† me à creatore:quia nec ex hoc probabit aliũ esse qui crucifixus est,nisi fortè ostenderit hunc exitũ eius à suo deo prædicatũ.ut diuersitas passionũ,ac per hoc etiam personarum,ex diuersitate prædicationum uindicet. Cæterum nec ipso Christo eius prædicato, nedum cruce ipsius, sufficit in meum Christum solius mortis prophetia:Ex hoc enim quod nõ est ædita qualitas mortis,potuit & per crucem euenisse, tunc alij deputanda,si in alium fuisset prædicatũ:nisi si nec mortẽ uolet Christi mei prophetatam,quo magis erubescat si suum quidem Christum mortuum annunciat,quẽ negat natum:meũ uero mortalem negat,quem nascibilem confitetur.Et mortẽ autem & sepulturam & resurrectionem Christi mei,una uoce Esaiæ uolo ostendere,dicentis,Sepultura eius sublata de medio est. Nec sepultus em̃ esset nisi mortuus,nec sepultura eius sublata de medio nisi per resurrectionẽ.Deniq; subiecit:Propterea ipse multos hæreditati habebit, & multorũ diuidet spolia,pro eo quod tradita est anima eius in mortẽ.Ostensa est enim causa gratiæ huius,pro iniuria scilicet mortis repensandæ.pariter ostensum est,hæc illum propter mortem cõsecuturum,post mortẽ utiq; per resurrectionẽ cõsecuturus.Sufficit hucusq; de his interim ordinẽ Christi decucurrisse,quo talis probatus qualiter annunciabatur,nõ alius haberi debeat,q̃ qui talis annunciabatur:ut iam ex ista cõsonantia rerum eius,& scripturarum creatoris,illis etiam† restituenda sit fides ex præiudicio maioris partis

Corpus domini.

Opinor legendũ,nullã Christi crucem significatam à creatore.

Forte,præstituenda.

ris partis,quæ ad diuersas sententias uel in dubium deducuntur uel negan-
tur.Amplius nũc superstruimus ea quoq; paria ex scripturis creatoris,quæ-
quæ post Christum futura præcinebant.Nec enim dispositio expuncta in-
ueniret,si nõ ille uenisset,post quem habebat euenire.Aspice uniuersas na-
tiones de uoragine erroris humani,exinde emergẽtes ad deum creatorem,
ad deum Christum,& si audes nega prophetatum,Sed statim tibi in psal-
mis promissio patris occurrit:Filius meus es tu,ego hodie generaui te. Po-
stula de me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& possessionẽ tuam ter
minos terræ.Nec poteris magis Dauid filium eius uendicare quàm Chri-
stum:aut terminos terræ Dauid potius promissos,qui intra unicam Iudæo
rum gentem regnarit,quàm Christo,qui totum iam orbem Euangelij sui fi
de cepit.Sic & per Esaiam:Ecce dedi te in dispositionem generis,in lucẽ na-
tionum aperire oculos cæcorum,utiq; errantium,exoluere de uinculis uin-
ctos,id est de delictis liberare,& de cella carceris,id est mortis,sedentes in te
nebris,ignorantiæ scilicet.Quæ si per Christũ eueniunt,non in alium erunt
prophetata,quàm per quem eueniunt.Item alibi: Ecce testimonium eum
nationibus posui,principem & imperantem nationibus. Nationes quæ te
non sciunt,inuocabunt te,& populi confugient ad te.Nec enim hæc in Da
uid interpretaberis,quia præmisit,Et disponam uobis dispositionem æter-
nam,religiosa & fidelia Dauid.Atquin hinc magis Christum intelligere de
bebis ex Dauid deputatum carnali genere ob Mariæ uirginis censum.De
hoc enim promisso iuratur in psalmo ad Dauid:Ex fructu uentris tui col-
locabo super thronum tuum.Quis iste uenter est? Ipsius Dauid? Vtique
non.Neque enim pariturus esset Dauid. Sed nec uxoris eius. Non enim
dixisset,ex fructu uentris tui,sed potius,ex fructu uentris uxoris tuæ.Ipsius
autem dicendo uentrem,superest ut aliquem de genere eius ostenderit, cu-
ius uentris futurus esset fructus caro Christi, quæ ex utero Mariæ floruit.
Ideóque & fructum uentris tantum nominauit, ut propriè uentris, quasi
solius uentris,non etiam uiri:& ipsum uentrem ad Dauid redegit,ad prin-
cipem generis,& familiæ patrem:quia uiro deputare non poterat uirginis
uentrem.Itaque in Christo noua dispositio inuenitur hodie:hæc erit quam
tunc creator pollicebatur, religiosa & fidelia Dauid appellans quæ erant
Christi,quia Christus ex Dauid, imò ipsa erit caro eius religiosa & fi-
delia Dauid, tam sancta religione, & fidelis ex resurrectione. Nam &
Nathan propheta in prima Basiliarum,professionem ad Dauid facit: Se- *Hoc est,in pri*
mini eius quod erit,inquit,ex uentre ipsius.Hoc si in Salomonem simpli- *mo Regnorũ.*
citer edisseres,risum mihi incuties. Videbitur enim Dauid peperisse Salo-
monem.An & hic Christus significatur,ex eo uentre semen Dauid,qui es-
set ex Dauid, id est Mariæ? Quia & ædem dei magis Christus ædifica-

turus esset hominem scilicet sanctum, in quo potiore templo inhabitaret dei spiritus, in dei filium magis Christus habendus esset quàm Salomon filius Dauid. Deniq; & thronus in æuum, & regnum in æuum, magis Christo competit quàm Salomoni temporali scilicet regi: sed à Christo misericordia dei non abscessit, Salomoni uero etiam ira dei accessit, post luxuriã & idololatriam. Suscitauit enim illi Satan hostem Idumæum. Cũ ergo nihil horum competat in Salomonem, sed in Christum, certa erit ratio interpretationum nostrarũ, ipso etiã exitu rerũ probante, quas in Christũ apparet prædicatas: & ita in hoc erũt sancta & fidelia Dauid. Hũc deus testimonium nationibus posuit, non Dauid: principem & imperantẽ nationibus, nõ Dauid, qui soli Israëli imperauit. Christũ hodie inuocant nationes quæ eũ nõ sciebant, & populi ad Christũ hodie cõfugiunt, quẽ retro ignorabãt. Nõ potest futurũ dici, quod uides fieri. Sic nec illã iniectionẽ tuã potes sistere ad differentiã duorũ Christorũ, quasi Iudaicus quidẽ Christus populo soli ex dispersione redigendo destinetur à creatore, Vester uero om̃i humano generi liberando, collatus sit à deo optimo: cũ postremò priores inueniantur Christiani creatoris q̃ Marcionis, exinde uocatis om̃ibus populis in regno eius, ex quo deus regnauit à ligno, nullo adhuc Cerdone, nedũ Marcione. Sed & reuictus de nationum uocatione, cõuertere iam in proselytos. Quæris qui de nationibus transeant ad creatorẽ, quando & proselyti diuersæ & propriæ cõditionis seorsum à Propheta nominent̃: Ecce, inq̃t Esaias, proselyti per me accedent ad te, ostendens ipsos quoq; proselytos per Christum accessuros ad deum, & nationes quod sumus nos, proinde suam habeant nominationem sperantes in Christum, Et in nomine, inquit, eius nationes sperabunt. Proselyti autem quos in nationum prædicatione substituis, non in Christi nomine sperare solent, sed in Moysi ordine, à quo institutio illorum est. Cæterum allectio nationum à nouissimis diebus exorta est. Iisdem uerbis Esaias: Et erit, inquit, in nouissimis diebus manifestus mons dñi, utiq; sublimitas dei, ædes dei super summos montes, utiq; Christus catholicum dei templum, in quo deus colitur constitutum, super om̃es enim eminentias uirtutum, & potestatum. Et uenient ad eum uniuersæ nationes, & ibunt multi, & dicent: Venite ascendamus in montẽ dñi, & in ædẽ dei Iacob, & annũciabit nobis uiã suã, & incedemus in ea. Ex Sion enim exibit lex, & sermo dñi ex Hierusalẽ. Hæc erit uia nouæ legis euangeliũ, & noui sermonis in Christo, iam non in Moysen: Et iudicabit inter nationes, de errore scilicet earũ. Et reuincet populũ amplũ, ipsorũ in primis Iudæorũ & proselytorũ. Et cõcident machæras suas in aratra, sibynas in falces, id est animorũ nocentiũ & linguarũ infestarũ, & omnis malitiæ atq; blasphemiæ ingenia, cõuertent in studia modestiæ & pacis. Et nõ accipiet gens super gentẽ machæram

καὶ τὰς ζιβύνας αὐτῶν εἰς δρέπανα. *Est autem ζιβύνη uenabuli genus, autore Tertulliano. Suidas* ὁλοσιδήρϊον ἀκόντϊον *significare scribit, hoc ẽ telum prorsus ferreum, Nonnunquã* λόγχην *siue* σπάθην, *id est, lanceam uel ensem.*

machæram utiq; discordiæ,& non discent amplius bellare,id est inimicitias perficere,ut & hic discas Christum nõ bellipotentem,sed paciferum repromissum.Hæc autem prophetata nega,cum coràm uidentur,aut adimpleta cum leguntur.Aut si non negas utrumq;,in eo erunt adimpleta,in quẽ sunt prophetata.Inspice enim adhuc etiam ipsum introgressum,atq; decursum uocationis in nationes à nouissimis diebus adeuntes ad deum creatorem, non in proselytos,quorum à primis magis diebus allectio est.Etenim fidẽ istam Apostoli induxerunt.Habes & Apostolorũ opus prædicatũ,Quàm tempestiui pedes euangelizantium pacem,euangelizantium bona,nõ bellum nec malum.Respondit & Psalmus:In omnem terram exiuit sonus eorum,& in terminos terræ uoces eorum, circumferentium scilicet legem ex Sion profectam,& sermonem domini ex Hierusalem, ut fieret quod scriptum est:Longe quiq; à iustitia mea,appropinquauerunt iustitiæ meæ & ueritati.Cum huic negocio accingerentur Apostoli renunciauerunt presbyteris,& archontibus,& sacerdotibus Iudæorũ.An non uel maxime, inquit, ut alterius dei prædicatores? Atquin ipsius eiusdem,cuis scripturam cũmaxime implebant,diuertite diuertite inclamat Esaias,excedite illinc,& immũdum ne attigeritis,blasphemiam scilicet in Christum. Excedite de medio eius,utiq; synagogæ, separamini qui dñi causam portatis.Iam enim secundum suprascripta reuelauerat dominus brachio suo sanctum, id est uirtute sua Christum coram nationibus,ut uiderint uniuersæ nationes & summa terræ salutem,quæ erat à deo.Sic & ab ipso Iudaismo diuertentes,cum legis obligamenta & onera, euangelica iam libertate mutarent, psalmum exequebantur,Disrumpamus uincula eorum,& abijciamus à nobis iugũ eorum:Postea certè quàm tumultuatæ sunt gentes,& populi meditati sunt inania,Astiterunt reges terræ,& principes congregati sunt in unum,aduersus dominũ & aduersus Christum eius.Quæ dehinc passi sunt Apostoli? Omnem,inquis,iniquitatẽ persecutionum ab hominibus scilicet creatoris, ut aduersarij eius,quẽ prædicabas:& quæ creator si aduersarius erat Christi,non modo prædicat hoc passuros Apostolos eius,uerum & exprobrat. Nam neq; prædicaret alterius dei ordinem quem ignorabat,ut uultis,neq; exprobrasset quod ipse curasset. Videte quomodo perit iustus,nec qsq; excipit corde,& uiri iusti auferentur,nec quisq; animaduertit.A persona enim iustitiæ sublatus est iustus.quis nisi Christus? Venite, inquiunt, auferamus iustum,quia inutilis est nobis.Præmittens itaq; & subiungens proinde passum etiam Christum,æque iustos eius eadem passuros,tam Apostolos q; & deinceps omnes fideles prophetauit signatos,illa nota scilicet de qua Ezechiel:Dicit dominus ad me,Pertransi in medio portæ in media Hierusalẽ, & da signa Tau in frontibus uirorum.Ipsa est enim litera Græcorum Tau,

Forte, prædicabãt. At creator si.

nostra

nostra autē T. species crucis, quā portendebat futuram in frontibus nostris apud ueram & catholicam Hierusalem, in qua fratres Christi, filios scilicet dei, gloriā † forte deo relaturos, Psalmus uigesimusprimus canit ex persona ipsius Christi ad patrem: Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ hymnum tibi dicam. Quod enim in nomine & spiritu ipsius hodie fieri habebat, merito à se futurum prædicabat. Et paulo infra: A te laus mihi in ecclesia magna. Et in quinquagesimoseptimo: In ecclesijs benedicite dominum deum: ut pariter concurreret & Micheæ prophetia: Non est uoluntas mea dicit dominus, & sacrificia uestra non accipiam: quoniā ab ortu solis usq; in occasum nomen meum gloriatum est in nationibus, & in omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum: Gloriæ scilicet relatio & benedictio & laus & hymni. Quæ omnia cum in te quoq; deprehendantur, & signaculum frontium, & ecclesiarum sacramenta, & mundiciæ sacrificiorum, debes iam erumpere uti dicas, spiritū creatoris tuo Christo prophetasse. Nunc quia cum Iudæis negas uenisse Christum eorum, recognosce & exitum ipsorum, quem post Christum relaturi prædicabant ob impietatem qua eum despexerunt & interemerūt. Primum enim ex die qua secundum Esaiam proiecit homo aspernamenta sua aurea & argentea, quæ fecerunt adorandis uanis & nociuis, id est ex quo genus hominum dilucidata per Christum ueritate idola proiecit, uide an quod sequitur expunctum sit: Abstulit enim dominus sabaoth à Iudæa, & ab Hierusalem inter cætera, & prophetam, & sapientem architectum, spiritum scilicet sanctum, qui ædificat ecclesiam, templum scilicet & domum & ciuitatem dei. Nam ex inde apud illos destitit dei gratia, & mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super uineam Soreth, id est cœlestibus beneficijs, ne prouenirent domui Israëlis. Fecerat enim spinas, ex quibus dominum coronauerat: & non iustitiam, sed clamorem quo in crucem eum extorserat. Et ita subtractis charismatū roribus, lex & prophetæ usq; ad Ioannē. Dehinc cū ea perseuerantia furoris, & nomē domini per ipsos blasphemaretur, sicut scriptū est: Propter uos blasphematur nomen meum in nationibus. Ab illis enim cœpit infamia: & tempus medium à Tiberio usq; ad Vespasianū, non pœnitentiam intellexissent, facta est terra eorum deserta, ciuitates eorū exustæ, regionem eorum sub ipsorum conspectu extranei deuorant. derelicta filia Sion, & tanquam specula in uinea uel in cucumerario casula, ex quo scilicet Israël dominum non cognouit, & populus eum nō intellexit, sed dereliquit, & in indignationem prouocauit sanctum Israëlis. Sic & machæræ conditionalis cōminatio, Si nolueritis nec audieritis me, machæra uos comedet, probauit Christum fuisse, quem non audiendo, perierunt. Qui & in psalmo quinquagesimoseptimo dispersionem eis postulat à patre: Disperde eos in uirtute

Hæc duo uocabula, forte dō uidētur è margine in contextum relata, quod aliquis pro dei gloriam, putarit legēdū deo gloriā relaturos.

uirtute tua. Qui & rursus per Esaiam in exustionem eorum perorans. Propter me hæc, inquit, facta sunt uobis: in anxietate dormietis. Satis uanè, si hæc non propter eum passi sunt, qui propter se passuros pronunciarat, sed propter Christum dei alterius. Atquin Christum, inquam, alterius dei dicitis, à creatoris uirtutibus & potestatibus, ut ab æmulis in crucem actũ. Sed ecce defensus ostenditur à creatore, & dati sunt pessimi pro sepultura eius, qui scilicet subreptam eam asseuerauerant: & locupletes pro morte eius, qui scilicet & à Iuda traditionem redemerant, & à militibus falsum testimoniũ cadaueris subrepti. Igitur aut nõ propter illũ acciderunt ista Iudæis, sed reuinceris conspirante & sensu scripturarum cum exitu rerum & ordine temporum: aut si propter illum acciderunt, non potuit creator ulcisci, nisi suum Christum, remuneraturus potius Iudam, si aduersarium domini sui peremissent. Certe si nondum uenit Christus creatoris, propter quem hæc passuri prædicantur, cum uenerit ergo, patientur. Et ubi tunc filia Sion derelinquenda, quæ nulla hodie est? Vbi ciuitates exurendæ, quæ iam in tumulis? Vbi dispersio gentis, quæ iam extorris? Redde statũ Iudææ, quem Christus creatoris inueniat, & alium contende uenisse. Iam uero quale est ut per cœlum suum admiserit, quem in terra sua esset interempturus, honestiore & gloriosiore regni sui regione uiolata, ipsa aula sua & arce calcata? An hoc magis affectauit? Planè zelotes, tamen uicit. Erubesce qui uicto deo credis. Quid sperabis ab eo qui se protegere non ualuit? Aut enim per infirmitatem oppressus est à uirtutibus & hominibus creatoris, aut per malitiositatem: ut tantum illis sceleris patientia infigeret. Imò, inquis, spero ab illo (quod & ipsum faciat, ad testimonium diuersitatis) regnum dei æternæ & cœlestis possessionis. Cæterum uester Christus pristinum statum Iudæis pollicetur, ex restitutione terræ, & post decursum uitæ apud inferos, in sinu Abrahæ refrigerium. Deum optimum si reddit placatus, quod & abstulerat iratus. O deum tuum, qui & cædit & sanat: condit mala & facit pacem. O deum etiã ad inferos usq; misericordem. Sed de sinu Abrahæ suo tempore. De restitutione uero Iudææ, quam & ipsi Iudæi, ita ut describitur, sperant, locorum & regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Christum & in ecclesiam, & habitum & fructum eius spiritaliter competat, & longum est persequi, & in alio opere digestum, quod inscribimus de spe fidelium, & in præsenti uel eo ociosum, quia non de terrena, sed de cœlesti promissione sit quæstio. Nam & confitemur in terra nobis regnum repromissum, sed ante cœlum, sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos in ciuitate diuini operis Hierusalem cœlo delata: quam & Apostolus matrem nostram sursum designat: & πολίτευμα nostrum, id est municipatum in cœlis esse pronuncians, alicui utique cœlesti ciuitati

Opus de spe fidelium.

Mille anni.

ciuitati eum deputat. Hanc & Ezechiel nouit, & apostolus Ioannes uidit.

Conijcio legendum uidit, & qui apud fidē no.

†Et quia apud fidem nostram est nouæ prophetiæ sermo testatus, ut etiam effigiem ciuitatis ante repræsentationem eius conspectui futuram in signū prædicarit. Deniq; expunctum est Orientali expeditione. Constat enim, ethnicis quoque testibus, in Iudæa per dies quadraginta matutinis momētis ciuitatem de cœlo pependisse, omni mœniorum habitu euanescente de profectu diei, & aliâs de proximo nullam. Hanc dicimus excipiendis resurrectione sanctis, & refouendis omnium bonorum utique spiritalium copia, in compensationem eorū quæ in seculo uel despeximus uel amisimus à deo prospectam. Siquidem & iustum & deo dignum, illic quoq; exultare famulos eius, ubi sunt & afflicti in nomine ipsius. Hæc ratio regni cœlestis. Post cuius mille annos, intra quam ætatem concluditur sanctorum resurrectio pro meritis maturius uel tardius resurgentium, tunc & mundi destructione & iudicij confragatione commissa, demutati in atomo in angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelæ superindumētum transferemur in cœleste regnum: de quo nunc sic ideo retractatur, quasi non prædicato apud creatorem, ac per hoc alterius dei Christum, probante, à quo primo & solo sit reuelatum. Disce iam hinc illud & prædicatum à creatore, & sine prædicatione credendum apud creatorem. Quid tibi uidetur cum Abrahæ semen post primam promissionem quam in multitudinem arenæ repromittitur, ad instar quoq; stellarum destinatur: nónne & terrenæ & cœlestis dispositionis auspicia sunt? Cum Isaac benedicens Iacob filium suum, det ait tibi deus de rore cœli, & de opimitate terræ. Nónne utriusq; indulgētiæ exempla sunt? Deniq; animaduertenda est hic etiam structura benedictionis ipsius. Nam circa Iacob, qui quidem posterioris & prælatioris populi figura est, id est nostri: prima promissio cœlestis est roris: secūda, terrenæ opimitatis. Nos enim primo ad cœlestia inuitamur, cum à seculo auellimur: & ita postea inuenimur etiam terrena consecuturi. Et euangelium quoq; uestrum habet: Quærite primum regnum dei, & hæc adijcientur uobis. Cæterum ab Esau promittit benedictionem terrenam, & subijcit cœlestem, de opimitate terræ dicens, Erit inhabitatio tua & à rore cœli. Iudæorum enim dispositio in Esau priorum natu, & posteriorum affectu filiorum, à terrenis bonis imbuta, per legem postea ad cœlestia per euangelium credendo deducitur. Cum uero Iacob somniat scalas obfirmatas in terra ad cœlum, & angelos alios ascendentes, & alios descendentes, innixum desuper dominū, temerè si forte interpretabimur, scalis his iter ad cœlum demonstrari, quò alij perueniant, alij decidant, domini constitutum esse iudicium. Cur autem ut euigilauit, & primum loci horrore concussus est, conuertitur ad interpretationem somni? Cum enim dixisset, quàm terribilis est locus iste, Nō est, inquit,

inquit,aliud:ſed ædes dei,& hæc porta cœli.Chriſtum dominum enim uiderat,templum dei,& portam eundem per quem aditur cœlum. Et utique portam cœli non nominaſſet,ſi cœlum non aditur apud creatorem. Sed eſt & porta quæ recipit,& quæ perducit,ſtrata iam à Chriſto, de quo Amos: Qui ædificat in cœlum aſcenſum ſuum,utiq; nõ ſibi ſoli,ſed & ſuis qui cum illo erunt. Et circumdabis enim illos tibi,inquit,tanquam ornamẽtum ſponſæ.Ita per illum aſcenſum ad cœleſtia regna tendentes miratur ſpiritus dicens: Volant uelut qui ſunt milui,ut nubes uolant,& uelut pulli columbarum,ad me ſcilicet ſimpliciter ut columbæ. Auferemur enim in nubes obuiam domino,ſecundum Apoſtolum,illo ſcilicet filio hominis ueniente in nubibus,ſecundum Danielem:& ita ſemper cum domino erimus, eatenus dum & in terra & in cœlo,qui ob utriuſq; promiſſionis ingratos, ipſa enim etiam elementa teſtantur:Audi cœlum & in aures percipe terra.Et ego quidem,etiamſi nullam ſpei cœleſtis manum mihi toties ſcriptura porrigente, ſatis haberem,huius quoque promiſſionis præiudicium, quod iam terrenam gratiam teneam:expectarem aliquid & de cœlo, à deo cœli,ſicut & terræ:ita crederem Chriſtum ſublimiora pollicentem,eius eſſe qui & humiliora promiſerat,qui experimenta maiorum de paruulis fecerat,qui hoc inauditi ſi forte regni præconium ſoli Chriſto reſeruauerat:ut per famulos quidem terrena gloria,cœleſtis uero per ipſum deum annũciaretur. At tu hinc quoque alium argumentaris Chriſtum,quod regnum nouum annunciet. Prius eſt,aliquod exemplum indulgentiæ proferas,ne merito dubitem de fide tantæ promiſſionis quam ſpero. Nam didici, imò ante omnia eſt,ut quem cœleſtia prædicas repromittere,aliquod cœlum probes eius. At nunc uocas ad cœnam,nec domum oſtendis:allegas regnum, nec regiam monſtras. An quia Chriſtus tuus cœleſte regnum repromittit,non habens cœlum,quomodo & hominem præſtitit non habens carnem? O phantaſma omne:ô præſtigia magnæ etiam promiſſionis.

Forte, O phãtaſma hominis, ò pro eſt.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, ADVERSVS MARCIONEM LIBRI TERTII FINIS.